

*Codice abesse, qui ad usus publicos & forenses proponeretur, firmata jam re Christiana. Multo magis quis non damnet conditorum operam, quum Juliani Leges 4. 6. de Sepulcris violatis, gentiliticæ superstitionis plenas, eodem retulerunt? Quis ferat Valentiniani Imp. Legem ult. de fide Catholica, ibidem legi pro Ariminensi Synodo? Quis ferat ibidem Arcadii Leges 1. 4. 5. 6. de his qui super religionem, quæ & ipsæ Catholicis adversæ erant, & adversus Chrysostomum & Johannitas lata? Addit acutus auctor, notans alios in Codice Theodosiano nexos, quorum in censum potissimum ponendas ait leges a se invicem ita divulsas, distractas, dilaniatas, ut nullum certum sensum habeant, imo quandoque etiam constructionis ibi ratio non constet; in eundem denique censum refert vitium frequens in Inscriptiõibus & subscrip-tionibus legum, veluti in Imperatorum nominibus adscribendis, vel omittendis; in Consulatibus item non recte aut plene designandis: quod videre est (inquit) in Constantinianis, & Valentinianis: unde ea chronologiæ confusio enata, quam restituere hodie operosum sæpe videatur: uti lege 1. de veteranis: lege 5. 6. de cursu public. lege 13. de panis. Quamquam pro Conditoribus dici possit, in eos partim errores illos jam antea admissos incurrisse, vel partim post demum a librariis commissos fuisse.*

Jam vero, quum uterque Codex, Theodosianus nempe ac Justinianeus, (uti modo observatum est) suis non careat nexis, illud certe fatendum censerem, Justinianicum, quantum ad civiles causas in foro dirimendas attinet, Theodosiano esse anteponendum; tum quia Theodosianus solas continet Christianorum Principum leges, ab anno Christi 312. ad annum 438. ab Imp. Constantino, tribusque ejus filiis, Constantino, Constantino, Constante; necnon a Juliano, Joviano, Valentiniano, Valente, Gratiano, Valentiniano juniore, Theodosio magno, Arcadio, Honorio, Theodosio juniore, Constantio, & Valentiniano tertio editas: Codex vero Justinianeus, præter memoratorum Principum,

com-